

## DE LEGIBUS

## LIBER SECUNDUS.

I. ATTICUS. Sed visne, quoniam et satis jam ambulatum est, et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus, et in insula, quæ est in Fibreno ( <sup>1</sup> nam opinor illi alteri flumini nomen esse ), sermoni reliquo demus operam sedentes? — MARCUS. Sane quidem. Nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive <sup>2</sup> quid aut scribo, aut lego. — ATT. Equidem, qui nunc <sup>3</sup> primum huc venerim, satiari non queo; magnificasque villas, et pavimenta marmorea, et laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti Nilos et Euripos vocant, quis non, quum hæc videat, irriserit? Itaque, ut tu, paullo ante de lege et jure disserens, ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quæ ad requietem animi delectationemque queruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar ( nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam, idque ut facerem, et orationibus inducebar tuis,

<sup>1</sup> Schütz ex divinatione Gærentii, quam pulchram dicit: nam Liri, opinor, illi alteri flumini. <sup>2</sup> Abest quid. <sup>3</sup> Potissimum.

## LIBER II.

39

et versibus), sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, quum Roma absis, usquam potius esse. — MARC. Ego vero, quum licet plures dies abesse, præsertim hoc tempore anni, et amœnitatem hanc et salubritatem sequor; raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quæ te non attingit ita. — ATT. Quæ tandem ista causa est? — MARC. Quia, si verum dicimus, hæc est mea et hujus fratris mei germana patria: hinc enim orti stirpe antiquissima <sup>1</sup> sumus; hic sacra, hic <sup>2</sup> genus, hic majorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, <sup>3</sup> latius ædificatam patris nostri studio; qui, quum esset infirma valitudine, hic fere ætatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco, quum avus viveret, et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.

II. ATT. Ego vero tibi istam justam causam puto, cur huc libentius venias, atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villæ ami-

<sup>1</sup> Abest sumus. <sup>2</sup> Gens. <sup>3</sup> Lautius.

cior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsæ illæ nostræ Athenæ non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus; studioseque eorum etiam sepulera contemplantur. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. — MARC. Gaudeo igitur, me incunabula præne mea tibi ostendisse. — ATT. Equidem me cognosce admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti; hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse vestram? Numquid duas habetis patrias? an est illa una patria communis? nisi forte sapienti illi Catonî fuit patria non Roma, sed Tusculum. — MARC. Ego mehercule et illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi romani civitatem susceptus est. Itaque, quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. Ut vestri Attici, <sup>1</sup> post-

<sup>1</sup> *Al. ante Manutium priusquam.*

quam Theseus <sup>1</sup> eos denigrare ex agris, et in Astu, quod appellatur, omnes se conferre jussit, et Sunii erant iidem et <sup>2</sup> Attici: sic nos et eam patriam <sup>3</sup> dicimus, ubi nati, et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est, caritate eam præstare, qua republicæ nomen universæ civitatis est; pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quæ genuit, quam illa, quæ exceptit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus nunquam negabo, dum illa sit major, et hæc in ea contineatur.

III. ATT. Recte igitur Magnus ille noster, me audiente, posuit in iudicio, quum pro <sup>4</sup> Balbo tecum simul diceret, rempublicam nostram justissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent: ut jam videar adduci, hanc quoque, quæ te procreavit, esse patriam tuam. — <sup>5</sup> QUINT. Sed ventum in insulam est. Hac vero nihil est amœnius. Ut enim hoc quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus

<sup>1</sup> Eisdem migrare. <sup>2</sup> *Corruptus admodum in mss. locus. Fere omnes a Victorio, et Sunii erant iidem. Ursinus tamen maluit et symphratos, unde Gorenz, et simul φράτορες; Schütz, et suæ φρατριάς.* <sup>3</sup> Ducimus. <sup>4</sup> *Al. Avidio; al. Ambio.* <sup>5</sup> *Censuit Wagner verbum hoc QUINT. delendum esse.*

æqualiter in duas partes latera hæc alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, et tantum complectitur, quod satis sit modicæ palæstræ, loci! Quo effecto, tanquam id haberit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim præcipitat in Lirem, et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius, Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attingi, quum ad multa accesserim, ut vix pede tentare id possim; quod in Phædro Platonis facit Socrates. — MARC. Est vero ita: sed tamen huic æmœnitati, quem ex Quinto sæpe audio, <sup>1</sup> Thyamis Epirotes tuus <sup>2</sup> ille nihil, opinor, concesserit. — QUINT. Est ita, ut dicis. Cave enim putes Attici nostri <sup>3</sup> Amaltheo, platanisque illis quidquam esse præclarius. Sed, si videtur, considamus hic in umbra, atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. — MARC. Præclare exigis, Quinte (at ego effugisse arbitrabar), et tibi horum nihil deberi potest. — QUINT. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

MARC. A Jove musarum primordia, .....

<sup>1</sup> Sic recte Turneb. emendavit. *Vulg.* Thebanus.  
<sup>2</sup> Forte, ut censet Davisius, Tite. <sup>3</sup> Emathio.

sicut in Arateo carmine orsi sumus. — QUINT. Quorsum istuc? — MARC. Quia nunc itidem ab eodem, et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. — QUINT. Optime vero, frater: et fieri sic decet.

IV. MARC. Videamus igitur rursus, priusquam aggrediamur ad leges singulas, vim naturamque legis, ne, quum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis, ignoremusque <sup>1</sup> vim sermonis ejus, quo jura nobis definienda sint. — QUINT. Sane quidem, hercule; et est ista recta docendi via. — MARC. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis dei: ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis, ad jubendum et ad deterrendum idonea. — QUINT. Aliquoties jam iste locus a te tactus est: sed ante quam ad populares leges venias, vim istius caeles-

<sup>1</sup> Schütz legendum putat, vim legis ejus, qua jura nobis definienda sint.

tis legis explana, si placet, ne ætus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermionis morem usitati trahat. — MARC. A parvis enim, Quinte, didicimus, Si IN JUS VOCAT, ATQUE EAT, ejusmodi alias leges nominare. Sed vero intelligi sic oportet, et hoc, et alia jussa ac vetita populorum, vim non habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi: quæ vis non modo senior est, quam ætas populorum et civitatum, sed æqualis illius cœlum atque terras tuentis et regentis dei.

Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sancendis habere; nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem interseindi juberet, idcirco minus Coelitem illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege atque imperio, putabimus; nec si, regnante Tarquinio, nulla erat Romæ scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ, Tricipitini filię, attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est. Orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera atque prin-

ceps, apta ad jubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Jovis.

V. QUINT. Assentior, frater, ut, quod est rectum, verum quoque sit, neque cum literis, quibus scita scribuntur, aut oriator, aut occidat. — MARC. Ergo ut illa divina mens summa lex est; item, quum in homine est, <sup>1</sup> perfecta est in mente sapientis. Quæ sunt autem varie, et ad tempus descripta <sup>2</sup> populis, favore magis, quam re, legum nomen tenent. Omnem enim legem, quæ quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam et beatam, inventas esse leges; eosque, qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturus, quibus illi adscitis susceptisque, honeste beateque viverent: quæque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciose et injusta populis jussa descripserint, quum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam leges: ut perpicuum esse possit, in ipso nomine legis inter-

<sup>1</sup> Perfectum. <sup>2</sup> Populi, si favore magis.

pretando inesse vim et sententiam justī et juris legendi. Quæro igitur a te, Quinte, sicut illi solent: Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? — QUINT. Ac maximis quidem. — MARC. Lege autem carens civitas, ane ob id ipsum habenda nullo loco? — QUINT. Dici aliter non potest. — MARC. Necessè est igitur legem haberi in rebus optimis? — QUINT. Prorsus assentior.

MARC. Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quæ non magis legis nomen attingunt, quam si<sup>1</sup> latrones aliqua consensu suo sanxerint? Nam neque medicorum præcepta dici vere possent, si quæ inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint; neque in populo lex, cuiuscumodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex, justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. QUINT. Præclare intelligo: nec vero jam

<sup>1</sup> *Fulg. latores; omnes vero docti ut verissimam habent emendationem Lipsii, Antiq. Lect., II, 2.*

aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. — MARC. Igitur tu Titias et Apuleias leges nullas putas? — QUINT. Ego vero ne Livias quidem. — MARC. Et recte, quæ præsertim uno versiculo senatus, puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cujus vim explicavi, neque tolli, neque abrogari potest. — QUINT. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quæ nunquam abrogentur. — MARC. Certe, si modo acceptæ a vobis duobus erunt.

Sed, ut vir doctissimus fecit Plato, atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de republica conscripsit, idemque separatim de legibus ejus, id mihi credo esse faciendum, ut priusquam ipsam legem recitem, de ejus legis laude dicam. Quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video; quum quidem illi non studii et delectationis, sed reipublicæ causa leges civitatis suis scripserunt. Quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. — QUINT. Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timæus? — MARC. At Theophrastus auctor haud deterior, mea quidem sententia; meliorem multi nominant: commemorant vero ipsius cives, nostri clientes, Locri. Sed sive fuit, sive non fuit, nihil ad rem; loquimur, quod traditum est.

VII. — « Sit igitur hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque, quæ gerantur, eorum geri videri, ratione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, et, qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum habere rationem.

« His enim rebus imbutæ mentes, haud sane abhorrebunt ab utili, ac vera sententia. Quid enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in cælo mundoque non putet? aut ut ea, quæ vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quemque ea, quæ gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogant; hunc hominem omnino numerare qui decet? Quamque omnia, quæ rationem habent, præsentent iis, quæ sint rationis expertia, nefasque sit dicere, ullam rem præstare naturæ omnium rerum; rationem inesse in ea confitendum est. Utiles esse autem opiniones has, quis

<sup>1</sup> *Alii codd. iudicio.* <sup>2</sup> *Et a vera.* <sup>3</sup> *Corenz, post Davisium, numerari.*

neget, quam intelligat, quam multa firmentur jurejurando, quantæ salutis sint fœderum religiones; quam multos divini supplicii metus a scelere revocari; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus?» — Habes legis proœmium: sic enim hoc appellat Plato.

QUINT. Habeo vero, frater; et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus, aliisque sententiis versaris, atque ille. Nihil enim tam dissimile est, quam vel ea, quæ ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. — MARC. Vellem fortasse. Quis enim id potest, aut unquam poterit imitari? nam sententias interpretari perfacile est. Quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meum. Quid enim negotii est, eadem, prope verbis iisdem conversa, dicere? — QUINT. Prorsus assentior. Verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed jam exprome, si placet, istas leges de religione.

MARC. Expromam equidem, ut potero; et, quoniam et locus et sermo familiaris est, legum leges voce proponam. — QUINT. Quidnam id est? — MARC. Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legi-

<sup>1</sup> *Ut in veteribus et his s. l.*

bus; et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paullo antiquiora, quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectæ; nam esset infinitum: sed ipsæ summæ rerum, atque sententiæ. — QUINT. Ita vero necesse est: quare audiamus <sup>1</sup> verba legis.

VIII. MARC. « Ad divos adeunto caste: pietatem adhibento: opes amovento. Qui secus faxit, « deus ipse vindex erit. — Separatim nemo habesit deos; neve novos, <sup>2</sup> sive advenas, nisi publice adscitos, privatim colanto. — Constructa « a patribus delubra <sup>3</sup> in urbibus habento. Lucos « in agris habento et larum sedes. — Ritus familiæ « patrumque servanto. — Divos, et eos, qui cælestes semper habiti, colunto, et ollos, quos « endo cœlo merita <sup>4</sup> locaverunt, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum: ast olla, propter quæ datur homini « adscensus in cœlum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunt; « nec ulla vitiorum sacra solemnia obeunto. — « Feriis jurgia amovento; easque in famulis, operibus patris, habento. Itaque <sup>5</sup> ut ita cadat in

<sup>1</sup> Alii multi delevere verba legis. <sup>2</sup> Sed ne. <sup>3</sup> Abest in urbibus. <sup>4</sup> Olim vocaverint. <sup>5</sup> Ernest. edidit ut cadant.

« annuis amfractibus, descriptum esto. Certasque « fruges, certasque baccas sacerdotibus publice libanto: hoc certis sacrificiis ac diebus. Itemque « alios ad dies ubertatem lactis <sup>1</sup> feturaque servanto. — Idque ne committi possit, <sup>2</sup> ad eam « rem, rationem, cursus annuos sacerdotes finiunto: quæque quoique divo decoræ gratæque sint « hostiæ, providento. — Divisque aliis alii sacerdotibus, omnibus pontificibus, singulis flamines « sunt. — Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum. — <sup>3</sup> Quoque « hæc privatim et publice modo rituque fiant, « discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum « autem duo genera sunt: unum, quod præsit « cærimonii et sacris; alterum, quod interpretatur fatidicorum et vatium effata incognita, quum « senatus populusque adsciverit. Interpretes autem Jovis optimi maximi, publici augures, signis « et auspiciis <sup>4</sup> postea vidento; disciplinam tenento. Sacerdotes vineta virgetaque et salutem populi auguranto; quique agent rem duelli, quique popularem, auspicium præmonento, ollique « obtemperanto; divorumque iras providento, iisque apparento: cœlique fulgura regionibus ratis

<sup>1</sup> Fetusque. <sup>2</sup> Gorenz. conj. ad earum rerum rationem. <sup>3</sup> Quodque..... fiat. <sup>4</sup> Lamb. postera, probante Davisio.

« temperato : urbemque , et agros , et templa li-  
 « berata et effata habento : quæque augur injusta ,  
 « nefasta , vitiosa , dira defixerit , irrita <sup>1</sup> infecta-  
 « que sunt ; quique non paruerit , <sup>2</sup> capital esto .

IX. « Fœderum , pacis , belli , induciarum ora-  
 « tores , fœtales , <sup>3</sup> iudices , duo sunt . Bella dis-  
 « ceptant . — Prodigia , portenta ad Etruscos et  
 « aruspices , si senatus <sup>4</sup> jusserit , deferunt : Etru-  
 « riarumque principes disciplinam docent . Quibus  
 « divis creverint , procurant ; iidemque fulgura  
 « atque obstata pianto . — Nocturna mulierum sa-  
 « crificia ne sunt , præter olla , quæ pro populo  
 « rite <sup>5</sup> fiant ; neve quem initiatio , nisi , ut assolet  
 « Cereri , Græco sacro . — Sacrum commissum ,  
 « quod neque expiari poterit , impie commissum  
 « <sup>6</sup> est ; quod expiari poterit , publici sacerdotes  
 « expiant . — Ludis publicis , quod sine curriculo  
 « et sine certatione corporum fiat , popularem læ-  
 « titiam in cantu et fidibus et tibiis moderant ,  
 « eamque eum divum honore jungunt . — Ex pa-  
 « tris ritibus optima colunt . — Præter Idææ  
 « matris famulos , eosque justis diebus , ne quis  
 « stipem cogito . — Sacrum , sacrove commendat-  
 « tum qui <sup>7</sup> cleperit , rapsitque , parricida esto . —

<sup>1</sup> Infestaque . <sup>2</sup> *Al.* capitale . <sup>3</sup> *Gorenz. e cod. Brux.*  
 iudicesve sunt . <sup>4</sup> *Idem e mss.* jussit . <sup>5</sup> *Gorenz.*  
 fient ; neve initiatio . <sup>6</sup> *Id.* esto . <sup>7</sup> *Al.* clepserit .

« Perjurii pœna divina exitium ; humana dedecus .  
 « — Incestum pontifices supremo supplicio san-  
 « ciunt . — Impius ne audent placare donis iram  
 « deorum . — Cautè vota reddunt . Pœna violati ju-  
 « ris esto . Quocirca ne quis agrum consecrato . Auri ,  
 « argenti , eboris sacrandi modus esto . — Sacra  
 « privata , perpetua manent . — Deorum manium  
 « jura , sancta sunt . Hos leto datos , divos habent-  
 « to : sumtum in ollos luctumque minuunt . »

X. ATT. Conclusa quidem est a te tam magna  
 lex , sane quam brevi : et , ut mihi quidem videtur ,  
 non multum discrepat ista constitutio religionum  
 a legibus Numæ nostrisque moribus . — MARC. An  
 censes , quum in illis de republica libris persuadere  
 videatur Africanus , omnium rerum publicarum  
 nostram , veterem illam , fuisse optimam , non  
 necesse esse optimæ reipublicæ leges dare consen-  
 taneas ? — ATT. Imo prorsus ita censeo . — MARC.  
 Ergo adeo expectate leges , quæ genus illud op-  
 timum reipublicæ contineant : et , si quæ forte a  
 me hodie rogabuntur , quæ non sint in nostra re-  
 publica , nec fuerint , tamen erant fere in more  
 majorum ; qui tum , ut lex , valebat . — ATT. Suade  
 igitur , si placet , istam ipsam legem , ut ego , UTEI  
<sup>1</sup> TU ROGAS , possim <sup>2</sup> dicere . — MARC. Ain' tan-

<sup>1</sup> *Abest TU.* <sup>2</sup> *Edicere.*



dem, Attice, non es <sup>1</sup>dicturus aliter. — ATT. Prorsus majorem quidem rem nullam sciscam aliter. In minoribus, si voles, remittam hoc tibi. — QUINT. Atque <sup>2</sup>hæc mea quidem sententia est. — MARC. At ne longum fiat, videte. — ATT. Utinam quidem <sup>3</sup>quid enim agere malumus?

MARC. Caste jubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis; sed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpori præstet, observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis <sup>4</sup>servandum magis. Nam illud vel aspersione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diurnitate <sup>5</sup>evanescere, nec annibus ullis elui potest.

Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri jubet, significat, <sup>6</sup>probitatem gratam esse Deo, sumtum esse removendum. Quid est enim, quum paupertatem divitiis etiam inter homines esse æqualem velimus, cur eam, sumtu ad sacra addito, deorum aditu arceamus? præsertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non iudex, sed deus ipse vindex con-

<sup>1</sup> Edicturus. <sup>2</sup> Abst hæc. <sup>3</sup> Vanescere. <sup>4</sup> Forsan, pietatem.

stituitur, præsentis poenæ metu religio confirmari videtur.

Suosque deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, et ignotas caerimonias non a sacerdotibus. <sup>1</sup>Nam a patribus acceptos deos, ita placet coli, si huic legi <sup>2</sup>paruerint ipsi. — Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Græciæ dicitur, quod parietibus incladerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnino templum esset et domus.

XI. Melius Græci atque nostri: qui, ut auferent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, urbes incolere voluerunt. Affert enim hæc opinio religionem utilem civitatibus: si quidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, quum rebus divinis operam daremus; et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere, omnia quæ cernerentur, deorum esse plena; fore enim omnes castiores, veluti qui in fanis essent maxime religiosi. Est enim quædam opinio species deorum in oculis, non solum in mentibus. Eademque rationem luci ha-

<sup>1</sup> Non. <sup>2</sup> Paruerunt.

bent in agris. Neque ea, quæ a majoribus prodita est quum dominis, tum famulis, posita in fundi villæque conspectu, religio Larum, repudianda est.

Jam ritus familiæ patrumque servare, id est (quoniam antiquitas proxime accedit ad deos) a diis quasi traditam religionem tueri.

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem, et ceteros, coli lex jubet, indicat omnium quidem animos immortales esse, sed fortium bonorumque divinos. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa sunt, ut illa qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud vitiosum, Athenis quod, Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum et Impudentiæ. Virtutes enim, non vitia consecrare decet. Araque vetus stat in Palatio, Febris; et altera Esquilis, Malæ Fortunæ, detestataeque: quæ omnia ejusmodi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, <sup>1</sup> Vicepotæ potius vin-

<sup>1</sup> *Fulg.* hæc leguntur depravata turpiter: Vicepotæ potius vincendi atque potiundi, statassandique cognomina, Statoris et Invicti Jovis. *Gorenz* verba illa vincendi, potiundi, et standi, ut glossemata, unci inclusit. *Schütz*, suo more, omnino delet. Nos tantum

cendi atque potiundi, Statæ standi, cognominaque Statoris et Invicti Jovis; rerumque expectandarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriae. Quoniamque expectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes consecrata est. Fortunaque sit vel Hujusce diei, nam valet in omnes dies; vel Respiciens, ad opem ferendam; vel Fors, in quo incerti casus significantur magis; vel <sup>1</sup> Primigenia a gignendo, <sup>2</sup> Comes. Tum.... \*\*\*

*Desunt paucæ.*

XII. Ferialum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium et jurgiorum; in servis, operum et laborum: quas compositor anni conferre debet et ad perfectionem operum rusticorum. Quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur, fetusque pecorum, quæ dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est. Quod, institutum perite a Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est.

Jam illud ex institutis pontificum et aruspicum, non mutandum est, quibus hostiis immolandum

*mutavimus, Gronovio et Davio ducibus, barbarum verbum statassandi. 1 Primigeniam. 2 Al. mss. comestum. Desperatus locus.*

cuique deo, cui majoribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.

Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes, et respondendi juris, et confitentiarum religionum facultatem afferunt.

Quumque Vesta, quasi focus urbis, ut Græco nomine est appellata (quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus), <sup>1</sup> concepta sit; ei colendæ virgines præsent; ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres <sup>2</sup> in natura feminarum omnem castitatem pati.

Quod sequitur vero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine iis, qui sacris publice præsent, religioni privatæ satisfacere non possint. Continet enim, reipublicæ consilio et auctoritate optimatum, semper populum indigere. Descriptioque sacerdotum nullum justæ religionis genus prætermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris <sup>3</sup> præsent solemnibus; ad interpretanda alii prædicta vatium; neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quæ suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset.

Maximum autem et præstantissimum in repu-

<sup>1</sup> Fulgo, complexa, et supra, quasi focum urbis.

<sup>2</sup> Lipsius emendavit naturam; alii, omnem castitatem peti. <sup>3</sup> Præsent.

blica jus est augurum, et cum auctoritate conjunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim majus est, si de jure querimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitatus et consilia vel insùtuta dimittere, vel habita rescindere? quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur <sup>1</sup> ALIO DIE dixerit? quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare, aut non dare? quid legem, si non jure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii; ut Livias, consilio Philippi, consulis et auguris; nihil domi, nihil <sup>2</sup> militiæ, per magistratus gestum, sine eorum auctoritate, posse cuiquam probari?

XIII. ATT. Age, jam ista video fateorque esse magna: sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio; nam eorum ego in libros incidi: quum alteri placeat, auspicia ista ad utilitatem esse reipublicæ composita; alteri disciplina vestra quasi divinare videatur prorsus posse. Hac tu de re, quero,

<sup>1</sup> ALIUM dixerit. <sup>2</sup> Gorenz revocavit militiæ e mss. pluribus, et edd. ante Ernest., qui, quum in mss. quibusdam falso legeretur familiæ, rescripsit e conjectura foris.

quid sentias. — MARC. Egone? divinationem, quam Græci *μαντικὴ* appellant, esse censeo, et hujus hanc ipsam partem, quæ est in avibus, ceterisque signis disciplinæ nostræ; quod, quum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorundem benignitatem hominum consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video, cur esse divinationem negem. Sunt autem ea, quæ posui; ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. Jam vero permultorum exemplorum et nostra est plena respublica, et omnia regna, omnesque populi, cunctæque gentes; augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim <sup>1</sup> Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset; neque tot nationes id ad hoc tempus tenuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeque Pisdarum; nisi vetustas ea certæ esse docuisset. Nec vero Romulus noster auspicate urbem condidisset, neque Attii Nævii nomen memoria floreret tam diu, nisi hi omnes multa ad veritatem <sup>2</sup> admirabilia dixissent. Sed dubium non est, quin hæc disciplina, et ars augurum evanuerit jam et vetustate, et negligentia. Itaque neque

<sup>1</sup> Poletis. <sup>2</sup> Codex unus Parisiens. mirabilia.

illi assentior, qui hanc scientiam negat unquam in nostro collegio fuisse; neque illi, qui esse etiam nunc putat. Quæ mihi videtur apud majores fuisse dupliciter, ut ad reipublicæ tempus nonnunquam, ad agendi consilium sæpissime pertineret. — ATT. Credo, hercle, ita esse, istique rationi potissimum assentior. Sed redde cetera.

XIV. MARC. Reddam vero, et, si potero, brevi. Sequitur enim de jure belli: in quo et suscipiendo, et gerendo, et deponendo, jus <sup>1</sup> plurimum valet et fides: horumque ut publici interpretes essent, lege <sup>2</sup> sanximus. Jam de aruspicum religione, de expiationibus et procurationibus satis superque in ipsa lege dictum puto. — ATT. Assentior, quoniam omnis hæc in religione versatur oratio. — MARC. At vero, quod sequitur, quomodo aut tu assentire, aut ego reprehendam, sane quero, Tite. — ATT. Quid tandem id est? — MARC. De nocturnis sacrificiis mulierum. — ATT. Ego vero assentior; excepto præsertim in ipsa lege solemnî sacrificio ac publico. — MARC. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæque nostri, et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? Non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. — ATT. Excipis; credo, illa, quibus

<sup>1</sup> Ut plurimum. <sup>2</sup> Sancimus.

ipsi initiati sumus. — MARC. Ego vero excipiam. Nam mihi quum multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque <sup>1</sup> in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculi ad humanitatem et mitigati sumus; Initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitæ cognovimus: neque solum cum lætitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Quid autem mihi displiceat <sup>2</sup> in nocturnis, poetæ indicant comici. Qua licentia Romæ data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatum libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit? — ATT. Tu vero istam Romæ legem rogato. Nobis nostras ne ademeris.

XV. MARC. Ad <sup>3</sup> nostra igitur revertor: quibus profecto diligentissime sciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri, quo Romæ initiantur. Quo in genere severitatem majorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, et consulum, exercitua adhibito, quæstio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Novos vero deos, et in his

<sup>1</sup> In vita. <sup>2</sup> Innocentes. <sup>3</sup> *Al.* nostras.

colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini judicati e civitate ejiciantur.

Publicus autem sacerdos, imprudentiam consilio expiatam metu liberet; audaciam in admittendis religionibus fœdis damnet atque impiam judicet.

Jam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationes, cursu et pugilatione, luctatione, curriculaque equorum, usque ad certam victoriã <sup>1</sup> in circo constitutis: <sup>2</sup> cavea, cantu, voce ac fidibus et tibiis; dummodo ea moderata sint, ut lege præscribitur. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos: quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes, et languescit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit; civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad molliem, pariter sunt immutati cum cantibus; aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant; aut, quum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisq[ue]

<sup>1</sup> *Abest in.* <sup>2</sup> *Wagner, omisso vocabulo constitutis, libenter legerit, in cavea cantus, id est certationes.*

mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longæque doctissimus, valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Ego nec tam valde id timendum, nec plane contemnendum puto. Illa quidem, quæ solebant quondam compleri severitate jucunda Livianis et Nævianis modis, nunc, ut eadem exsultent, cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus <sup>1</sup> torquent. Graviter olim ista vindicabat vetus illa Græcia, longe providens, quam sensim pernicies illapsa civium animos, malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret: si quidem illa severa Lacedæmon nervos jussit, quos plures quam septem haberet, in Timothei fidibus demi.

XVI. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optimi: de quo quum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, eas, quæ essent in more majorum. Quo quum iterum venissent, majorumque morem dixissent sæpe esse mutatum, quævisissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis; respondit, optimum. Et pro-

<sup>1</sup> Torqueant.

fecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et Deo proximum, quod sit optimum.

Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ Matris excepinus. Implet enim superstiùone animos, et exhaurit domos.

Sacrilego pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum, quod et nunc multis fit in fanis. Alexander in Cilicia deposuisse apud Solos in delubro pecuniam dicitur; et Atheniensis Clisthenes Junoni Samiæ, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit.

Sed jam de perjuriis, de incestis nihil sane hoc quidem loco disputandum est. — Donis impii ne placare <sup>1</sup> audeant deos; Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit. — Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio, qua obligamur deo. Pœna vero violatæ religionis justam recensationem non habet. Quid ego hic sceleratorum utar exemplis? quorum sunt plenæ tragœdiæ. Quæ ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi hæc commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur; tamen, quo-

<sup>1</sup> *Davivius e duob. mss. addidit quidem. Male.*

niam mihi sermo est apud <sup>1</sup> vos, nihil reticebo, velimque hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius videri, quam grave.

XVII. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum jura polluta sunt; vexati nostri Lares familiares; in eorum sedibus exædificatum templum Licentiæ; pulsus a delubris is, qui illa servarat. <sup>2</sup> Circumspicite celeriter animo (nihil enim atinet quemquam nominari), qui sint rerum exitu consecuti. Nos, qui illam custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus ac perditis, violari ab impiis passi non sumus, eamque ex nostra domo ipsius patris domum detulimus, judicia senatus, Italiæ, gentium denique omnium, conservatæ patriæ consecuti sumus. Quo quid accidere potuit homini præclarior? Quorum scelere religiones tum prostratæ afflictæque sunt; partim ex illis distracti ac dissipati jacent: qui vero ex iis et horum scelerum principes fuerunt, et præter ceteros in omni religione impii, <sup>3</sup> non solum vita

<sup>1</sup> Gorenz, cum multis codicibus, deos; Ernest. e conjectura Ranconeti, vos; al. eos. <sup>2</sup> Mss. habent, Circumspicit hæc celeriter animus. <sup>3</sup> Tentavit Lamb. non solum vita cum cruciati atque dedecore privati sunt; Pearce, vitæ cruciati dedecore. Optima, ut videtur, emendatio Gorenzii, non solum vita, cruciati dedecore, verum etiam.

cruciati atque dedecore, verum etiam sepultura ac justis exsequiarum caruerunt.

QUINT. Equidem ista agnosco, frater, et meritas diis gratias ago: sed nimis sæpe secus aliquanto videmus evadere. — MARC. Non enim, Quinte, recte existimamus, quæ pœna divina sit; et opinionibus vulgi rapimur in errore, nec vera cernimus. Morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione judicii, hominum miserias ponderamus; quæ fateor humana esse, et multis bonis viris accidisse: sceleris est pœna, tristis, et præter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, nunquam inimici nobis fuissent, ardentes quum cupiditate, tum metu, tum conscientia; quid agerent, modo timentes; vicissim contemnentis religiones: judicia perrupta ab iisdem; corrupta hominum, non deorum. Reprimam jam, et non insequar longius, eoque minus, quo plus pœnarum habeo, quam petivi. Tantum ponam, <sup>1</sup> erui duplicem pœnam esse divinam, quod constaret et vexandis vivorum animis; et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et judicio vivorum et gaudio comprobetur.

<sup>1</sup> Erui delendum forte. Schütz, e Lambino, Tantum ponam brevi. Gorenz conj. cerni.

VIII. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior; qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: «Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est. Quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem et argentum in urbibus et privatim, et in fanis invidiosa res est. Tum ebur, ex inani corpore extractum, haud satis castum donum deo. Jam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem, quod quis voluerit, uno e ligno dedicato, itemque lapideum, in delubris communibus. Textile ne operosius, quam mulieris opus menstruum. Color autem albus præcipue decorus deo est tum in ceteris, tum maxime in textili. Tineta vero absint, nisi a bellicis insignibus. Divinissima autem dona aves et formæ ab uno pictore uno absolutæ die: itemque cetera hujus exempli dona sunt.» Hæc illi placent. Sed ego cetera non tam restricte præfinio, vel hominum vitiis, vel subsidiis temporum victus. Terræ cultum sequirem suspicor fore, si ad eam tuendam, ferroque subigendam, superstitionis aliquid accesserit.

ATT. Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis, et de manium jure restat. — MARC. O miram memoriam Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. — ATT. Ita credo: sed tamen hoc magis eas res et

memini, et expecto, quod et ad pontificum jus et ad civile pertinent. — MARC. Vero: et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa; et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, ejus ipsius generis jus civile nostrum; sed ita, locus ipse ut notus sit, ex quo ducatur quæque pars juris, ut non difficile sit, qui paullum modo ingenio possit moveri, quæcumque nova causa consultatiove acciderit, ejus tenere jus; quum<sup>1</sup> sciat a quo sit capite repetendum.

XIX. Sed jureconsulti, sive erroris obijciendi causa, quo plura et difficiliora scire videantur; sive, quod similis veri est, ignoratione docendi (nam non solum scire aliquid artis est, sed quædam ars etiam docendi), sæpe, quod positum est in una cognitione, id in infinita dispartiantur: velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scævola faciunt, pontifices ambo, et iidem juris peritissimi! Sæpe, inquit Publii filius, ex patre audivi, pontificem neminem bonum esse, nisi qui jus civile cognosset. Totumne? quid ita? quid enim ad pontificem, de jure parietum, aut aquarum, aut<sup>2</sup> ullo omnino? Ergo,\* quod cum religione conjunctum est. Id autem quantum est? de sacris, credo, de

<sup>1</sup> Scias. <sup>2</sup> Gorenz. ex mss. suis, aut tali ullo omni.



votis, de feriis, de sepuleris, et si quid ejusmodi est. Cur igitur hæc tanta facimus, quum cetera parva sint.

De sacris autem, qui locus patet latius, hæc sit una sententia, ut conserventur semper, et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, <sup>1</sup> perpetua sint sacra. Hoc uno posito, hæc jura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia venerit. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinæ satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur jurisconsultorum libri. Quærantur enim, qui adstringantur sacris. Heredum causa justissima est. Nulla est enim persona, quæ ad vicem ejus, qui e vita emigraverit, propius accedat. Deinde, qui morte testamentove ejus tantumdem capiat, quantum omnes heredes. Id quoque ordinè. Est enim ad id, quod <sup>2</sup> propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quæ ejus fuerint, quum moritur, usn cepert plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit, qui ullam rem cepert, de creditoribus ejus qui plurimum servet. Extrema illa persona<sup>3</sup> est, ut is, qui

<sup>1</sup> Lamb. edidit perpetua sint. Hoc posito, hæc jura  
<sup>2</sup> Melius forte positum, quod placuit Davisi.

ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, perinde habeatur, quasi eam pecuniam cepert.

XX. Hæc nos a Scævola didicimus, non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis sacris adstringi: hereditate; aut, si majorem partem pecuniæ capiat; aut, si major pars pecuniæ legata est, si inde quippiam cepert. Sed pontificem sequamur.

Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris conjungi volunt, iisdemque ferias et cærimonias adscribendas putant. Atque etiam dant hoc Scævolæ, quod est partitio: ut, si in testamento <sup>1</sup> deductio scripta non sit, ipsique minus cepert, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc iidem secus interpretantur: et quod paterfamilias in ejus donatione, qui in ipsius potestate esset, approbavit, ratum est; quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est.

His propositis, quæstiunculæ multæ nascuntur; quas qui <sup>2</sup> non intelligat, <sup>3</sup> si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat: veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur; ac post de ejus heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab

<sup>1</sup> Deducta. <sup>2</sup> Abst non. <sup>3</sup> Non si.

eo, cujus ipse heres esset, prætermissum fuisset; eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset relicta: qui eam pecuniam exegisset, solum sine coheredibus, sacris alligari. Quin etiam cavent, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per æs et libram heredem testamenti solvat, propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

XXI. Hoc ego loco, multisque aliis quæro a vobis, Scævola, pontifices maximi, et homines, meo quidem iudicio, acutissimi, quid sit, quod ad jus pontificium civile appetatis. Civilis enim juris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia, pontificum auctoritate, nulla lege, conjuncta sunt. Itaque si vos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas; sed quod iidem juris civilis estis peritissimi, hac scientia<sup>1</sup> illam eluditis. Placuit P. Scævola, et Cornucanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, qui tantumdem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari. Habeo jus pontificium. Quid huc accessit ex jure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. Inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberare-

<sup>1</sup> Illa.

tur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet jurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. Super dicebant, qui quid cepisset, adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium jus, et e medio est jure civili, ut per æs et libram heredem testamenti solvant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea non<sup>\*</sup> alligata sacris.

Venio nunc ad manium jura, quæ majores nostri et sapientissime instituerunt, et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est, decembri facere solebat. Cujus ego rei causam quum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco a more majorum discessisse (nam Sisennam video causam, cur is vetus institutum non servarit, ignorare; Brutum autem majorum institutum temere neglexisse, non fit mihi verisimile, \* doc-

<sup>1</sup> Quod a priori usque ad posteriorem asteriscum interest, supplevit Lambinus ex vetusti, ut ait, codicis vestigiis. Quod supplementum editores novissimi genuinum haud arbitrantur.

tum hominem sane, cujus fuit Attius perfamiliaris): sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres februarium, sic hic decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare, pietati esse adjunctum putabat.

XXII. Jam tanta religio est sepulcrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse: idque apud majores nostros A. Torquatus in gente Popilia judicavit. Nec vero tam denicales, quæ a nece appellatæ sunt, <sup>1</sup> quia residentur mortuis, quam ceterorum cœlestium quieti dies, feriæ nominarentur, nisi majores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre jus, quibus neque ipsius, neque publicæ feriæ sint. Totaque hujus juris compositio pontificalis magnam religionem cærimoniamque declarat.

Neque necesse est edisseri a nobis, quæ finis funestæ familiæ, quod genus sacrificii <sup>2</sup> Lari vervecibus fiat; quemadmodum os rejectum terræ obtegatur; quæque in porca contracta jura sint; quo tempore incipiat sepulcrum esse, et religione teneatur.

Ac mihi quidem antiquissimum sepulturæ genus

<sup>1</sup> *Vulg.* quia residentur mortui. *Ernest.* qua resident mortui. <sup>2</sup> Lare.

id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulcro, quod <sup>1</sup> ad Fontis aras, regem nostrum Numam conditum accepimus; gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit Sulla victor, acerbiori odio incitatus, quam si tam sapiens fuisset, quam fuit vehemens. Quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Declarat etenim Ennius de Africano,

Hic est ille situs.

Verè. Nam siti dicantur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam justa facta, et corpus <sup>2</sup> ingestum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis <sup>3</sup> ponitur, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret: eumque morem jus pontificale confirmat. Nam priusquam in <sup>4</sup> os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est cor-

<sup>1</sup> Procul ad. <sup>2</sup> *Codices habent* cesus aut arsus est, nullo sensu. <sup>3</sup> Penitus, humati. <sup>4</sup> Eos.

pus, nihil habet religionis. Injecta gleba, tum et illic humatus est, et gleba vocatur; ac tum denique multa religiosa jura complectitur. Itaque in eo, qui in navi necatus, deinde in mare projectus esset, decrevit P. Mucius, familiam puram, quod os supra terram non exstaret: <sup>1</sup> contra, porcam heredi esse contractam, et habendas triduum ferias, et porco femina piaculum pati. Si in mari mortuus esset, eadem, præter piaculum et ferias.

XXIII. ATT. Video, quæ sint in pontificio jure. Sed quæro, quidnam sit in legibus. — MARC. Pauca sane, Tite, et, uti arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad jus sepulcrorum. « Hominem mortuum, inquit lex in XII Tabulis, in urbe ne sepelito, neve urito. » Credo, vel propter ignis periculum. Quod autem addit, neve urito, indicat, non qui uratur, sepeliri, sed qui humetur. — ATT. Quid, qui post XII in urbe sepulti sunt, clari viri? — MARC. Credo, Tite, fuisse, aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto, quod eorum posterii jure tenuerunt; aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti legibus, consecuti sunt. Sed in urbe sepeliri lex vetat.

<sup>1</sup> Abest contra.

Sic decretum a pontificum collegio, non esse jus, in loco publico fieri sepulcrum. Nostis extra portam Collinam ædem Honoris: et aram in eo loco fuisse, memoriæ proditum est. Ad eam quum lamina esset inventa, et in ea scriptum <sup>1</sup> DOMINA HONORIS; ea causa fuit ædis hujus dedicandæ. Sed quum multa in eo loco sepulcra fuissent, exarata sunt. Statuit enim collegium, locum publicum non potuisse privata religione obligari.

Jam cetera in XII, minuendi suntus lamentationesque funeris, translata de Solonis fere legibus. « Hoc plus, inquit, ne facito. Rogum ascia ne polito. » Nostis quæ sequuntur. Discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium, quas jam nemo discit. Extenuato igitur sanitu, tribus riciniis, et vinelis purpuræ, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem: « Mulieres genas ne radunto. Neve lessum, funeris ergo, habento. » Hoc veteres interpretes, Sex. Ælius, L. Acillius non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris; L. Ælius, lessum, quasi lugubrem ejulationem, ut vox ipsa significat. Quod eo magis judico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Hæc laudabilia, et lo-

<sup>1</sup> Gorenz hoc verbum uncis inclusit, ut prorsus inutile; Schütz deletit.

cupletibus fere cum plebe communia. Quod quidem maxime e natura est, tolli fortunæ discrimen in morte.

XXIV. Cetera idem funebris, quibus luctus augetur, Duodecim sustulerant. « Homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. » Excipit bellicam peregrinamque mortem. Hæc præterea sunt in legibus de unctura; quibus « servilis unctura » tollitur, omnisque « circumpotatio. » Quæ et recte tolluntur: neque tollerentur, nisi fuissent. « Ne sumtuosa respersio; ne longæ coronæ, nec acerræ » prætereantur. Illa jam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod « coronam virtute partam, » et ei, qui peperisset, et ejus parenti, sine fraude esse lex impositam jubet.

Credoque, quod erat factitatum, ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret, lege sanctum est.

Qua in lege quam esset, « neve aurum addito, » quam humane excipit altera lex: « Quoi auro dentes vincti escunt, ast im cum illo sepelire urereve, se fraude esto. » Et simul illud videtote, aliud habitum esse, sepelire, et urere.

Duæ sunt præterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum ædificiis, altera ipsis sepulcris

cavet. Nam quod « rogum bustumve novum » vetat « propius sexaginta pedes adjici ædes alienas, invito domino, » incendium veretur acerbum. Quod autem « forum, » id est, vestibulum sepulcri, « bustumve usucapi » vetat, tuetur jus sepulcrorum.

Hæc habemus in Duodecim, sane secundum naturam: quæ norma legis est. Reliqua sunt in more: funus ut indicatur, si quid ladorum; dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus. « Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur: » cui nomen nenix; quo vocabulo etiam Græcis cantus lugubres nominantur.

XXV. QUINT. Gaudeo nostra jura ad naturam accommodari; majorumque sapientia admodum delector. — MARC. Sed credo, Quinte, ut ceteri sumtus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumtus progressa jam ista res sit, in C. Figali sepulcro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem. Alioquin multa exstarent exempla majorum. Nostræ quidem legis interpretes, quo capite jubentur sumtus et luctum removere a deorum manium jure, hoc

<sup>1</sup> Gorenz, mss. et edd. vett. adjuvantibus, restituit memorantur — prosequitur. Alii etiam cantu.

intelligunt, in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam. Nec hæc a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis jam ille mos a Cærope, ut aiunt, permansit, et hoc jus terra humandi: quam quum proximi injece- rant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur; solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulæ, quas inibant <sup>1</sup> propinqui coronati: apud quas de mortui laude, quum quid veri erat, prædicatum. Nam mentiri nefas habebatur. <sup>2</sup> Ac justa confecta erant. Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt. Quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in <sup>3</sup>decimam tabulam conjecerunt. Nam de tribus riciniis, et pleraque illa Solonis sunt. De lamentis vero expressa verbis sunt. «Mulieres genas ne radunto; neve lessum, funeris ergo, habento.»

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam, «ne quis ea deleat, neve «alienum inferat»; pœnaque est, «si quis bus-  
«tum (nam id puto appellari τὸ μῆρον) aut monu-

<sup>1</sup> Parentes. <sup>2</sup> Ad justa conjecta. <sup>3</sup> Undecimam.

«mentum, <sup>1</sup>inquit, aut columnam violarit, de-  
«cerit, fregerit.» Sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum, quas in Ceramico videmus, lege sanctum est, «ne quis sepulcrum  
«faceret operosius, quam quod decem homines  
«effecerint triduo.» Neque id opere tectorio exor-  
nari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat im-  
poni; nec de mortui laude, nisi in publicis sepul-  
turis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem  
constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat  
celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio  
minueretur. Habet enim luctum concursus homi-  
num. Quocirca Pittacus omnino accedere quem-  
quam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem  
Demetrius, increbuisse eam funerum sepulcro-  
rumque magnificentiam, quæ nunc fere Romæ  
est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit  
enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus,  
sed etiam civis e republica maxime, tuendæque  
civitatis peritissimus. Iste igitur sumtum minuit  
non solum pœna, sed etiam tempore. Ante lucem  
enim jussit efferri. Sepulcris autem novis finivit  
modum. Nam super terræ tumulum noluit quid  
statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altio-

<sup>1</sup> Pro inquit, offert aliquod Davisius.

rem, aut mensam, aut labellum; et huic procuratori certum magistratum præfecerat.

XXVII. Hæc igitur Athenienses tui. Sed <sup>1</sup> videamus Platonem, qui justa funerum rejicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit hæc. Vetat ex agro culto, eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; sed, quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur; quæ autem terra fruges ferre, et, ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus. Exstrui autem vetat sepulcrum altius, quam quod quinque diebus homines quinque absolverint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui, incisam <sup>2</sup> ne plus quatuor herois versibus; quos longos appellat Ennius. Habemus igitur hujus quoque auctoritatem de sepulcris summi viri, a quo iterum funerum sumtus præfinitur ex censibus, a minis quinque usque ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum, et reliqua post mortem tranquillitate honorum, pœnis impiorum.

<sup>1</sup> *Davisius sine causa videtur præferre audiamus.*  
<sup>2</sup> *Abest ne plus.*

Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis locum. — QUINT. Nos vero, frater, et copiose quidem: sed perge <sup>1</sup> cetera. — MARC. Pergam quidem: et quoniam libitum est vobis me ad hæc impellere, hodierno sermone conficiam, spero; hoc præsertim die. Video enim Platonem idem fecisse, omnemque orationem ejus de legibus, peroratam esse uno æstivo die. Sic igitur faciam, et dicam de magistratibus. <sup>2</sup> Id enim est profecto, quod, constituta religione, rempublicam contineat maxime. — ATT. Tu vero dic, et istam rationem, quam cœpisti, tene.

<sup>1</sup> *Ern. addit ad post Davisium, nulla causa.* <sup>2</sup> *Idem.*